John Carter Brown
Library
Brown University

The John Carter Brown Library
Brown University
Purchased from the
Louisa D. Sharpe Metcalf Fund

C.6 / 168 Voy 68/68

Port au Prince

W2

MATRI MEÆ CARISSIMÆ,

In æternum gratitudinis monumentum consecratur à reverente filio,

P. L. DUTASTA LASSERRE.

DISSETATIUNCULA MEDICA

De curatione generali febrium non chronicarum genio proprio existentium,

QUAM, Deo duce, in Augustissimo Ludoviceo Medico Monspeliensi, tueri conabitur PETRUS-LUDOVICUS DUTASTA LASERRE, ex urbe *Port-au-Prince*, in insula *Saint-Domingue* apud Americanos, liberalium Artium Magister, nec-non in almâ Universitate Monspeliensi jam-dudùm Medicinæ alumnus.

Pro Baccalaureatûs gradu consequendo.

PER febres proprio genio existentes, idiopaticas, id est eas quæ à morbo precedenti non prodeunt, febres audio. Porro quæ ab ini.

RPJCB

tio ad uſque finem nullam experiuntur intermiſſionem, continuæ nuncupantur. Vel intra 40 dies terminantur iſtæ, vel extra extenduntur. Si 40 dies exſuperant, febrium chronicarum nomine inſigniuntur, contra verò, non chronicæ de quibus nobis animus eſt agere, dicuntur. Non chronicæ varias patiuntur diviſiones, nempè, in breves ſimpliciter, & in acutas, in ſynochas & in ſyneches breves ſimpliciter nec per ſe mortem inferunt, & breviter ſua abſolvunt tempora; tales ſunt febris ephemera, ſynochus imputris, febris imflammatoria quæ idem ſonat ac ſynochus imputris vehemens. Febres nominantur acutæ, quando in variis decurendis ſtadiis interitûs periculum minitantur. Synochum putrem, febres ardentes, malignas, pituitoſas, &c. hæc complectitur claſſis. Ediuturnitate plura vocabula ſortiuntur acutæ. Aliæ ſunt peracutæ quæ intra 4 dies deſinunt; aliæ acutiſſimæ quæ ſeptem dies includunt; aliæ acutæ ſimpliciter quæ ad 14 vel ad vigeſimum unum protrahuntur; quæ demùm per 40 dies graſſantur, pro acutis per incidentiam habentur. In genere, quo ſymptomata, quæ morbum gravem prænuntiant, validiora apparent; eò citiùs morbus ad finem collimat. Quò debiliora è contrà, quæ gravem prædicunt, eò longior morbus evadit. Sed ſigna è quibus non periculoſi cognitio morbi depromitur, ſi initia appareant, brevitatem febris denotant. Synochi vel continentes ſic appellantur quando ſemper eumdem tenorem ſervant. Syneches aut exacerbantes dignoſcuntur ſi continuæ nunc remittunt, nuncque ingraveſcunt.

Ad tria ſymptomata generalia omnibus febribus conſentanea, cætera referenda ſunt; ad frigus ſcilicet, calorem, & pulsûs frequentiam; è quibus unicum, frequentia pulsûs, in quolibet tempore conſtanter perſtat. In frigore adſunt, ſitis, pallor, rigiditas cutis, horripilatio, anxietas, reſpiratio anheloſa, urina cruda, pallida, omnium excretionum ſuppreſſio, quandòque nauſea, vomitus, & ſemper pulſus frequens, ſed debilis, parvus. Ante hoc tempus ferè ſemper proſerpunt ſigna quæ in functionibus læſionem denotant, ut laſſitudines, aliaque hujuſmodi incommoda; illi autem prænuncii, ſi diæta tenui, quiete, potu aquoſo tepido leviter ſudatorio, nec-non evacuantibus, indicatione data, ſubitò debellantur, ferè ſemper febres arcebuntur. Frigore prægreſſo ægrum corripit calor. Tunc temporis pulſus frequens devolvitur plenus & durus evadit. Sitis increſcit cùm dolore capitis, aliorumve membrorum ingruente. Reſpiratio magna fit, anima calida, facies rubra, lingua pedetentim ſiccatur, urina rubra valdè colorata, modo ſalia olea aliaque hæterogenea quibus inquinatur ſanguis, eliminari poſſint. Licet quam plurimis febribus (ſymptomata calorem concomitantia) competant, dantur attamen in quibus propter genium peculiare deſinunt pro majori parte, vel ſaltem mutationes patiuntur.

Annotandum eſt quaſdam febres abſque frigore ſaltem ſenſibili ſubitò ingruere, quaſdam calorem debilem &c. in corpore ſuccendere.

Hiſce præmiſſis ſecuturiſque ritè perpenſis ſic

erui queit febris definitio. Nihil eſt aliud quam pulsûs frequentia cum notabili læſione functionum nam morbi ab Auctoribus deſcripti & tanquam febres omnibus habiti huncce duplicem caracterem ſuppeditant. Porro vocabulum quodcumque cum talem vel talem ideam complexam referens jam ab omnibus ſuſcipitur, valdè abſonum eſt hocce vocabulo uti, ſi diſcrepantem ſenſum concitare debeat. Ergò rejicienda ſententia quæ pulsûs frequentiam profligat, & niſi à collectione quorumdam ſymptomatum febrem derivat. Aliundè plurium collectio abſque febre inveniri queit. Ille certè maximè palaretur qui ægrum febre corripi contenderet ex eo quod capitis dolore, urina tenui, vel rubra, vertigineque ſimul concurentibus laboraret. An calor febrem procreabit, præſentibus adhuc rubore faciei, dolore in veſica, ſed abſque hisce ſymptomatibus dignoſcuntur febres; dùm viget frigus febrile, febris adeſt & calor non adhuc invaſit. An frigus cum laſſitudinibus tremore febrem ſtatuunt. Nullatenus hæc continuò incurrunt nec eam conſtituunt. En ſymptomatum collectiones quæ tamen febrem non pariunt. Quamplurimos morbos enucleare poſſem in quibus reperiuntur collectiones ſymptomatum febribus incurrentium, quæ tamen nulla tenus hancce denominationem ſuſcipere queunt. Ergò præter ſymptomatum collectionem adhuc requiritur caracter eſſentialis quocum ſine errore febrem ponere poſſim; ergò præter ſignorum morbi collectionem pulsûs frequentia admittenda. Si febris ſignum indefectibile non ſuppedi-

tat pulſus caracter, cur practicus ſubitò arteriam, pectusve tangens, erroris timore amoto, ita ſuum enuntiat judicium. Tua levis eſt febris, evaſit nulla, licet adhuc debilitate vel dolore capitis, aliisve incommodis conqueratur æger. Ergò rationi optimè conſonat jam allata febris definitio, ergò pulsûs frequentiam tanquam febris caracterem eſſentialem non immeritò conſpexit *Boerhaavius*.

Antequam ultra progrediamur hæc circa calorem non abſonum erit annotare. Calor in ſtatu morboſo eſt ut vis qua cum feriunt ſolida, & adhùc ut ſimultanea pulſatronum frequentia. Nam calor eſt ut actio ſolidorum in fluida, illa autem actio ſequitur rationem compoſitam & vis ictus quo ſolida ſanguinem percutiunt, ut illud impromptu eſt & numeri horumce ictuum; etenim quo arteria v. g. fortius & ſæpiùs in ſanguinem reaget, eò ſua major erit actio. Ergo cum calor in ſtatu morboſo eſt ut actio ſolidorum in fluida, ſequitur quod inſit ut vis ictus ſolidorum ſimultaneaque pulſationum frequentia.

Hinc facile concipi poteſt cur in febribus ubi abeſt vis ictûs, frequentia frigus concomitetur; venit nùnc probandum ab actione ſolidorum in fluida calorem pendere. Ex omnium morborum conſideratione illud ſubitò patet. Quoties enim in fluida debiliter agunt ſolida, toties vel in ſtatu morboſo, vel etiam in ſano, calor debilis evadit. Quoties è contrà ſolida valdè percutiunt fluida, toties, cæteris paribus, fortis enaſcitur calor. Ergò calor creſcit vel decreſ-

cit, ut crescit vel decrescit jam prædicta actio, non equidem in ratione directâ. Hæc autem relatio deprehenditur 1°. à frigore & à calore febrili, 2°. à morbis frigidis calidisque, 3°. à temperamentis frigidis vel calidis, à variis ætatibus, à diversitate sexuum, nam calorem cum irritabilitate in muliere ne confundas. 4°. A medicamentis quæ intra aut extra ad mota, solidis irritatis, phlogiston sanguinis devolvunt. 5°. A morbis motum circulatorium abolentibus, id est, ad mortem jamjam vergentibus. Te, ô amice Lector, nimis doctiorem, autumo ut hæc commentariis indigeant. His positis sic oritur argumenti propositio minor, quandò res quæcumque A v. g., crescit aut decrescit ut alia res B, quando prior enascitur, vel extinguitur, posteriore nascente vel extinguente, res A dicitur rei B effectus; imprimis si idea effectûs explicandi ab exemplis cognitis oriri potest. Illud principium ferè omnium phœnomenorum physicorum explicationibus basim eruit firmam: ergo cum calor crescat vel decrescat, ut solidorum in fluida actio evidenter sequitur quod calor æstimari debeat ex actione solidorum in fluida aut quod idem est calor sit effectus actionis, &c.

Evidens est insuper quod calor pendeat à motu, sive motus corporum intestini putetur, sive phlogiston in motum constitutum habeatur. Nam in utroque casu à sanguinis motu pendebit calor. Illud duplex argumentum cuicumque opiniones scrutanti sufficiet; sed non consonabit eis qui cum verbis tantùm

& nullatenus reflexis, omnia ratiocinia refellere, hypothesesque conficere se posse firmiter credunt.

Ergò principiis quorum ab omnibus doctissimis agnoscitur veritas, fulciti physiologi, ab actione solidorum in fluida derivandum esse optimè propugnant. Calorem cæterum alias excludere causas non contendo. Aërem dephlogisticum in sanitate adhuc concurrere probabile est, sed hæc opinio argumentis jam allatis à chymicis, clarioribus indiget. Quædam difficultates adhuc contrariæ solvendæ sunt.

Ex febrium signi essentialis consideratione, causas materiales voco, quidquid corpori vel externè vel internè admotum febrim ponit, atque cujus ablatio eam tollit. Per causam procatarticam, quidquid vel causam materialem producit, aut in actionem illam promovet, repente concipio. Causæ denique prædisponentis sic definitionem statuo: est dispositio pro morbi cujuscumque susceptione fluidis, solidisve, aut utrisque inhærens. Causæ materiales sunt vel externæ vel internæ. Ad quædam capita referendæ sunt.

1°. Ad omne extraneum acrimoniâ præditum, vel ore, vel ano, vel cutis spiraculis, in corpore introductum, ut ad liquores vinosos, spirituosos &c. ad nutrimenta solida aromatibus vel salibus nimis condita; ad medicamenta stimulantia, ad venena introsuscepta, & demum ad partes noxias in sanguine diffusas, mediante aëre.

2°. Ad omne stimulans in corpore genitum

& quod excuti nequit, ut ad pus acre, materiem tranſpirationis, vel imminutam vel omninò ſuppreſſam, excrementa retenta, urinam in veſicâ cohibitam, menſtrua, partûsque purgamenta non ritè profluentia, cæteraſque evacuationes abolitas, dentes non facilè erumpentes.

3°. Ad omne quod in primis viis degenerationem experitur ſive naturaliter ibi effundatur, ut ad bilem; ſuccum gaſtricum, inteſtinalem, pancreaticum, & ad inteſtinorum mucoſitatem, ſive deglutiatur, ad alimenta malè digeſta, è regno vegetabili, aut animali deprompta; (omnes plantas alkaleſcentes ac omnia animalia nutritiva, lacte excepto in acidum abeunte, corruptelam alkaleſcentem ſubire, ceteraque vegetabilia oleracea ſcilicet, farinoſa, fructus, &c. in gluten ſæpiſſimè acidum vertere, memento te, Lector.)

4°. Ad humores corporis nimis agitatos, præſertim ſi jam in vaſibus turgent, aut acrimonia inficiuntur;

5°. Ad nimiam in cordis villis ſpirituum influentiam.

Cauſæ materiales externæ ſunt cauſticorum, veſicantium, frictionum, &c., admotio.

Cauſæ procatarcticæ juxta definitionem à nobis allatam ſic eruuntur; aër calidior, frigidiorve, nebuloſus, humidus, & ſiccior: exercitia validiora, diù protracta, aut nimius muſculorum torpor: ſomnus longior, vigilia nimia, pinguia, oleoſa, emplaſtica, aliaque hujuſmodi ſpiracula jamdudum obſtruentia: animi pathemata, ut ira, furor, triſtitia, terror vene-

paludosa, imprimis ubi stant corpora putrida, vulnera, ictus, &c.

Causæ prædisponentes fluidis inhærentes sunt, eorum immeabilitas, pituitosa sanguineave, nimia tenuitas, nimia rarefactio, nimia cruoris pituitæ & seri redundantia, aut bilis materiei, id est, salibus oleisque sanguis nimiùm pollens. Prædisponentes è solidis enatæ à laxitatis, rigiditatis, elasticitatisque excessu proveniunt; ætas autem horumce cognitioni favet.

Vi, numeroque causarum materialium simul concurrentibus morbi intensitas minor aut major procreabitur. Causarum autem occasionalium energia atque pluralitas supradictarum intensitatem parient. Si corpus tali vel tali prædispositione donatum invadat causa materialis, tùnc talis vel talis insurget morbus. Sic ex hacce fonte dimanare debent morborum discrimina.

Pluribus fortasse & eis imprimis qui vocabulis tumidi & sententias scrutari nesciunt, non arridebit hæc causarum classificatio. Sed illam ætiologiam ita peragere volui, ex eo quod propter argumenta temporis brevitate omittenda magis rationi consonare mihi videtur.

Jam enarratis febrium symptomatibus, jam triplici causarum divisione explorata, facile ex his rite perpensis in lucem prodibit diagnosis.

Quoad prognosim ritu planè simili dignoscetur, considerando insuper in quæ viscera ruant humores & sequentia à me memoranda.

Omnis febris abit vel in ſanitatem, vel in alium morbum, vel denique in mortem; in ſanitatem duplici modo, per reſolutionem nempè, aut per criſim: reſolutio prædicatur, ſi morbo conſtituto, à ſanitatis ſignis parum ſymptomata diſcrepant. Quintuplâ viâ, hæmorrhagia, ſudore, mictu, diarrhæâ, & tumoribus, in febribus de quibus loquimur perficiuntur criſes, aut reſolutio impropriè dicta.

Tanquam criticè non tenendæ ſunt quæcumque evacuationes niſi erumpant cum hisce conditionibus; 1°. poſt coctionis tempus, non vero initio morbi apparere debent; 2°. ſymptomata ſublevare debent, illa autem conditio adventa, cæteris exceptionem producit; 3°. copioſus requiritur fluxus. Dantur adhuc alii critici caracteres è colore, conſiſtentia, &c. materiei evacuatæ petiti, & infra à me expoſituri. Pro criſis prognoſi expedit adhuc ut ad dies criticos, indicantes, incidentes, & vacuos attendat Medicus. Hæmorrhagia in genere prædicitur pulſu dicroto, temperamento plethorico, ætate floreſcente, morbi genio & ſignis pathologicis quæ in partem aliquam ſanguinis tranſlationem denotant.

Undè ſi è naribus eructaturus ſit cruor, tùnc exoriuntur, parti capitis anteriori dolor gravativus quandòque ægrum palpebras claudere cogens; oculi fulgentes, aliquandò lacrymas effundentes aut etiam cum rubrorum viſione; arteriæ temporalis pulſatio fortis, facies ſanguine redundans, deliria, aurium tinnitus narium irritatio, tumor hypocondriacus abſque

dolore &c. Si ſanguis ex utero proſilire debet, dignoſcitur calore, dolore tenſivo & gravitate lumborum, irritatione partium voluptati inſervientium & imprimis ſi morbus à menſtruorum ſuppreſſione originem ducit. Si è vaſibus hæmorrhoïdalibus eliminaturus ſit, tùnc ex eis exurgunt, calor, tenſio, rubor & pruritus; præſertim ſi fluxûs hæmorrhoïdalis ſuppreſſio, morbi invaſionem præceſſerit.

Cum illud ſanguis profluvium ita ægrum proſternat, ut ipſius vitam grave immineat periculum, ſiſtendum eſt linteo poſcâ imbuto, teſticulis ventrive admoto, cucurbiculis abſque ſcarificatione hypocondriacæ regioni applicatis, levi artuum ligaturâ, acido auſteris apertis vaſibus ſuper impoſitis &c. Excitatur verò ſi rectè non proſiliat, vaporibus aquæ tepidæ, applicatione, corporum quæ dulciter vaſa reſiſtentia frangunt, ſive per ſe ipſa, ſive in concuſſionibus excitandis, aliis denique quæ in hisce partibus ſanguinem leviter attrahunt ut pediluviis, fomentis relaxantibus, dulciſſimis, ruborem excitantibus. Sudores criticos denotant cutis mollis, relaxa, vapore halituoſo madens, pulſus undulosus, urinæ ſuppreſſio aut diminutio, tempus calidum, morbi genium, & denique ſudores undique erumpentes. Partiales frigidi mortem periculumve grave prænuntiant. Nimii fluentes cohibentur, imminutione integumentorum, aëre frigidiuſculo, potu leviter nitroſo. Si è contrà parvi excutiuntur, remedia ſudori faventibus oppoſita cum cautelâ uſurpata optimè conducunt. Idem

dici debet de potibus tepidis ſtimulantibus parum exacutis.

Mictus criticus manifeſtatur pubis regionis gravitate, colli veſicæ irritatione, pulſu mycuro, ſudore ſuppreſſo aut imminuto, tempore frigido, mictûs gutthulis, & demùm jumentoſo urinæ profluxu, cum ſedimento albo, aut colorem lateris triti referente. Si adeſt eneorema, cito fundum petere requiritur. Raró ſolæ totaliter morbum judicant urinæ. Tamen juxta D. *Sabatier* doctiſſimum hujuſce lycei Proff. ſedimentum non album fermè ſemper morbum omninò judicat, nimiam urinarum copiam, ſi ad uſque levem ſudoris gradum verſus cutem propellat, arcebit Medicus ille attingitur ſcopus ſi in uſum veniant, tegumentorum augmentum, ſpiritûs vini vapor in lecto diffuſus, &c. ſi earum profluxus excitandus eſt tunc remedia jam dicta ſudores cohibentia præſcribentur.

Diarrhææ prognoſis deſumitur pulſu parvo, fermè intermittenti, inflatione hyppocondriacâ cum flatibus, borborigmis, ſi præſertim initio morbi putriditatis ſigna imprimis viis viſa fuerint, dejectione copiosâ, materiei conſiſtentis, piſorum cremorem æmulantis. Diarrhæa ægri vires nimium debilitans, adſtringentibus, narcoticis, cordialibus cum opio confectis, coarcebitur. Ea autem vel per os vel per anum inteſtina ingredientur, ſi evacuatio pauca obtinetur, enemata dulciter irritantia purgantiaque eccoprotica; alvum è contrà promovebunt. Hic de vomitu mentionem non

agam quia non poſt coctionis ſigna ſed potius in tempore cruditatis evenit. Præterea vomituritionis ſigna aliunde enumerabo.

Tumores criticos brevi enaturos demonſtrant, dolor aliquandò rubor & tumor, cuidam parti ſupervenientes cum conditionibus altius requiſitis. Morbi genium prognoſi criticæ adhuc conſentaneum eſt. Illi tumores, ut bubones, parotides, in ſuppurationem duci vel meliùs cauteriis ferrove auferri debent. Deindè generalis vulnerum curatio cum ſubſtantiæ deperditione locum habet.

Notandum eſt quod quandò illæ diverſæ evacuationes vires nimis frangant, levibus cordialibus, niſi ſanguineæ eſſent, uti debeat æger. Nimia cruoris deperditio reparabitur ſi juſculis nutritivis, aliiſque hujuſmodi corpus refocilletur.

In alium morbum febres continuæ deſinunt, vel in inflammatione viſcerum procreandâ, quæ uniuſcujuſque viſceris inflammationis notis dignoſcitur, vel in febres intermittentes vel denique in pravum ſolidorum nec-non fluidorum affectum, morbo chronico anſam præbentem.

Pallidam mortem animæ vincula jamjam frangentem denotant adoleſcentis indicia circulationis ut extremitatum pallor, debilitas ingens, ſudores frigidi partiales vel non, facies collapſa, pallida, frontis livida, ſicca cutis, naſus acutus quandòque ſudoribus frigidis madens, oculi cavi, obſcurati, labia livida, aures refrigeratæ, reſpiratio valdè anheloſa, brevi cum ſtertore; hisce ſymptomatibus non initio morbi ſed ver-

sùs finem imprimis incurrentibus ; 2°. indicia quæ virium resolutionem ediscunt licèt adhùc à defectu circulationis pendeant, ut oculi fixi, sivè sub palpebrâ se recondat pupula, sivè motibus convulsivis exagitentur; si ore hiante reperitur æger, si sensus externi sensibiliter extinguuntur, si adest musculorum resolutio ac consequenter diarrhææ urinæque evasio, si lectò decumbens eumdem statum semper servat, aut versùs pedem, semetipso in sciente, sæpè declinat; si summæ anxietatis signa insensibilitati uniuntur; si adsint delirii notæ ab inanitione vasorum, si, denique plurimis illis symptomatibus accudantur maxillarum contorsiones, tendinum subsultus citò mors ictum fatalem feriet.

Curatio in genere, habebitur si causæ materialis investigationi incurratur, denique subitò tollatur. Causæ materiales invenientur ægri responsis causarum procatarcticarum disquisitione & symptomatum præsentiâ remediis magis idoneis tolletur. Si v. g. à menstruorum suppressione febris originem ducat, subitò menstrua revocanda sunt; sine magnâ medicamentorum farragine ita feliciter debellari queit. An complicantur inter se causæ materiales, tùnc unâ jàm sublatâ, altera propugnanda venit. Si v. g. in corpore valdè plethorico febrim accendat causticum quodcumque causa duplex, causticum nempè, nervos cutis dilacerans & sanguis copiosus rubris globulis cor irritans, morbum fovebit. Ad curationem, remoto caustico sanguinis detractione

globorum cruoris numerus imminuetur. Si causa materialis ita fugax est tenuisque, ut nisi naturæ conamine, excuti vel emendari non possit, fibris ità componenda est ut nec vi nec debilitate peccet. Termino medio semel nacto materiam morbificam ita elaborabit febris ut nostrorum humorum vel indolem comparaverit vel è machinâ egredi potuerit; v. g. si acre quodcumque in temperamento valdè pituitoso febrim excitat, propter hocce gluten magis ac magis spissum calore evadens, vires initio debiles in majorem debilitatem semper adibunt. Exindè naturæ conamina pituita nimis obruta causam febrilem facilè non domabunt, ac consequenter ut res ægri magis in vado fiant diluentibus stimulantibus, evacuantibusque simùl unitis dividendum est, nec-non eliminandum illud glutinosum. Sic adjutâ naturâ, acre faciliùs emendabitur.

Pro febrium medelâ semper vereare ne in viscera ruant exagitati liquores. Remediis idoneis eorum translationem præcaveas: sed si jam exploserint, citò extrahere conare.

His prælibatis ad varia media quibus febris moderata tenetur ut hostem evincat nùnc devenio. Si omnia rectè procedant symptomata, id est, si à statu naturali parùm discriminantur pulsus, ad tactum calor mitis halituosus, sitis levis vel nulla, dolores non nimis sævientes respiratio sat facilis sat naturalis, anima nec nimis calida, urinæ pauco colore donatæ, si causa levis absque aliis gravioribus indiciis, competunt sola remedia præservatoria. Undè

diæta diluens leviterque nutriens, lac valdè dilutum, ferum lactis, decocta farinofa, hordei, avenæ, orizæ, &c. Optimè profunt pax mentis, mitiffimum in aëre temperato exercitium ut liquida fufcepta potiùs fanguini mifceantur diluentia eadem nutritiva medicamentis inferviunt. Alvus ftricta enematibus laxativis oleo recenter expreffo, melle, mannâ, &c. paratis, corrigetur. Prava materies in primis viis coacervata educenda per vomitum, fi ventriculum aggravat & nulla exurgit contraindicatio, per alvum autem fi inteftina infarciat.

Vomitum indicant, vertigines tenebricofæ, capitis dolores, pulfus quandòque intermittens fequentibus mictui, appetitui proftrato, halitui fœtido, ori amaro, linguæ fordidæ, cruftâ flavâ aut nigrâ confpurcatæ; morfui ventriculi pauco dolorifoveæ ftomachi tactu detecto, cardialgiis, anxietatibus, ructibus nidorofis, naufeis & materiarum putridarum vomitui. Hæc autem materies alcalefcentes denotant.

Vomitum adhùc indicant, tria primaria figna fequentibus unita, halitui ingrato, linguæ albâ aut nigrâ cruftulâ, contaminatæ, ventriculi inflationi & gravitati poft paftum adauctis, ructibus quandòque acidis, naufeis, & vomitui glutinofi vel phlegmatis infipidi. Ea glutinofa denotant.

Colluvies putrida inteftina obruit fi fiant borborigmi flatus, dolores colici, tumor hypochondriacus abfque dolore fenfibili, lumborum calidi aut frigidi dolores qui etiam abeffe poffunt.

Contradicunt

Contradicunt vomitui omnes morbi qui actione musculorum abdominalium diaphragmatisque adaugentur, sive eorum pressione, sive versùs superiora sanguinis propulsione augmentum suscipiant.

Vermes quorum præsentia dignoscitur signis materiarum sive glutinosarum, sive alcalescentium, adhùc quædam peculiaria offerunt, ut narium pruritum ani tenesmum fermè continuum, sensum corporis inæsophagum ascendentis & ægrum ferè suffocantis, si absque causâ sat validâ subitò incidit febricitans tanquàm apoplecticus cùm pulsu tenuissimo, intermittenti & extremitatibus frigore correptis. Puer vermibus laborare suspicitur si imprimis temperamento valdè pituitoso donatur, ventrem sæpè premit, subitò cùm horipilatione è somno arripitur, si agitatur insultibus epilepticis, & demùm si pallet oculorum angulus.

Porrò necant vel foras hæc expellunt reptilia, amarissima, involventia, ut olea, &c. mercurialia, vomitoria, purgantia, quæ digerere non valent, ut terræ piscium ossa, cæteraque absorbentia. Ex illis deprompta, semper morbi genio competere, saltem non adversari, debent remedia.

Si pulsus est frequens, durus, plenus, calor intensus, sitis magna, respiratio aut rara, aut velox, animæ calidissimæ dolores validi, urinæ valdè coloratæ quæ attamèn quandòque, magno ægri periculo, limpidæ evadunt, facies rubra vel non, cum pulsu duro, siti inextinguibili, calore ingenti, magna omnium pa-

tium exſiccatione. (Nàm tùnc ſanguis ſummo febris ardore ſpiſſior, minima vaſa non ingrediens, ruboris defectum gignit.)

Subitò ad curationem in uſum advocanda ſunt quæ internè vel externè ſumpta ſanguinem, diluunt, refrigerant, ipſius motum imminuunt & ſolida relaxant. Diluentia internè ſumpta per os vel anum, ſunt lac valdè dilutum ſerum lactis, aqua tepida cujus virtus diluens adaugetur ſi humoribus noſtris fit miſcibilis ope ſubſtantiarum leviter ſaponaceatuim è vegetabilibus eductarum, ut mellis, ſeri lactis, ſacchari, ſuccorum fructuum maturorum vel plantarum emollientium, ſyrupi ex hisce confecti. Ea autèm adhuc ſolida internè relaxant. 2°. Inter refrigerantia numerantur quædam ſalia neutra in aquâ tepidâ ſolutâ, ut nitrum, ſal prunellæ, ſal vegetabile, ſal rupellarum, acida mineralia ut vitriolicum, è vitriolo, ſulphure, argilis, &c. extractum, acidum nitroſum è nitro, nitro quadrangulari, &c., acidum marinum, è ſale marino, ſale gemmâ dicto, ſale febrifugo ſilvii, &c. ſulphuris ſpiritus, ſal ſedativum, acidum mephiticum è terris calcariis, &c., acida animalia ut acidum de formicis, acidum phoſphoricum ex oſſibus animalium, è ſale microſcomico, &c. acida vegetabilia ut acetum, acidum de ſaccharo, tartarus ejusque purificationes, cremor & cryſtalli, ſal volatile de ſuccino, ſalia eſſentialia de plantis acidis, (hæc in aquâ ſolutâ ad uſque gratam aciditatem optimè refrigerant,) ſucci fructuum acidorum ut

omphacium, ſucci aurantiorum, &c. tamarindi, plantæ acidæ in infuſione aut in ſyrupo. Motum ſanguinem compeſcunt ſanguinis miſſio quæ juxtà ſymptomatum exaltationem, temperamentum, ætatem, clima ſexum, ſtatum actualem & brevi ſecuturum tempeſtatis preſcribetur; 2°. levis ligatura ſucceſſive artubus applicata quæ venas non verò arterias obſtipat. 3°. Uſus narcoticorum prudens, præmiſſis jàm ſanguinis miſſionibus aliiſque evacuationibus, ſuperſtitibus adhùc vel ſummis doloribus, vel vigiliis, vel febre intensâ. Sed ſemper à levioribus ad uſque effectum pedetentìm adauctis, exordiri debet Medicus. Si propter quaſdam rationes ſanguinis miſſionem è venâ, licet indicatam, verearis, tùnc in uſum veniunt cucurbiculæ ſcarificatæ & hirudines quæ minùs debilitant, nec commotionem à venis arteriisve productam inferunt.

Externè ſolida relaxantur, fluidaque diluuntur, aquâ tepidâ ſub formâ balneorum, vaporis, fomentationis. Si ingluvies alkaleſcens primis viis inhæreat, ſanguinis miſſione præmiſsâ, nec-non ingluvie fluidâ redditâ, ad emetica aut purgantia, vel potiùs ad utraque confugiendum eſt. Emetica dulciſſima, purgantia eccoprotica, & imprimis acida propinanda ſunt. Inter emetica quorumvis majori vel minori evomendi propenſione dirigetur, irritatio faucium à corpore quocumque, oximel ſimplex, oximel ſcilliticum, acetum ſcillitium, ypecacuanha, mitiſſimæ antimonii præparationes, ut Glauberii ſyrupus, tartarus

emeticus inlavatione, primum obtinent locum. Inter eccoprotica reperiuntur, caſſia, ros calabrienſis, ſal Glauberii, duo ſalia epſomenſia, ſal prunellæ &c., purgantia acida, ut tamarindi, tartari depurationes, &c. juxta D. *Malhoin*, pg. . chemiæ medicalis, ſalium uſus diu uſurpatus, ſanguinem acrimonia inquinant. Indè pauco tempore inſervienda ſunt.

Si febres exarcerbant, per remiſſionem tantum propinanda ſunt evacuantia ut antè reduplicationem ſuos effectus præſtent. Purgativâ eorum actione jàm abſolutâ, dieique funali tenebris jam extincto, evacuationis tumultus ſemper compeſcet narcoticum. Cæterum per totum medelæ tempus ventrem relaxabunt purgantia antiphlogiſtica.

Sic ex poſitis ritè intellectis, ritèque adhibitis, ſanabuntur febris ephemera, ſynochus imputris, imflammatoria quæ nihil eſt aliud quam ſynochus imputris vehemens.

Si in febribus calidis potiùs acredine aut acrimoniâ alkaleſcenti ſanguis peccat; tum hæc ſymptomata in lucem proferentur; pulſus frequens, parvus, vividus, ſyſtole quoad velocitatem diaſtolem ſuperante, calor acer, mordax, ad tactum 1°. inſenſilis, dein ad ſenſum punctionis urentem uſque adauctus, ſitis magna, acidorum appetitus, dolores capitis pungentes, reſpiratio velox, anima calida, urinæ rubræ quandoque crocinæ, color faciei vel oculorum majoris anguli ad flavum vergens, &c.

Indicationes curativæ habebuntur ſi diluatur

& refrigeretur ſanguis, ſi ipſius ſalia, oleaque nimis devoluta, obtundantur, & denique ſi ſolida relaxantur; quæ omnia, ſolâ ſanguinis miſſione omiſsâ, ex ſupradictis obtinebuntur. Si præter acrem calorem ſanguinem inficientem, nec-non quædam relata acredinis ſymptomata, pulſus adeſt durus, & plenus, reſpiratio valdè anheloſa, tunc vel una vel duæ cruoris eductiones curam exordiri debent. Materies putrida in primis viis turgida quæ plerumque hic in hiſcemorbis colligitur, evacuantibus foras propelletur.

Synochum putridum qui à quibusdam febris bilioſa nuncupatur, atque diverſasfebres ardentes ab Auctoribus enarratas, eâ methodo medebimur.

Si pulſus eſt frequens, mollis, tenuis, cæteri corporis calor debilis, & quandoque urens in volâ manuum, in facie rubra, cum tamen pedum, naſi, digitorum extremitatum refrigeratione, ſi ſitis levis vel nulla, lingua initio alba, humida, licet dein nigreſcat, & ſicca evadat, reſpiratio vix ſpiritum trahens, dolor capitis violens, aut obtuſus, aliquando cum refrigerationis ſenſu invertice, urina pallida, cruda; ſi cum hiſce ſymptomatibus, ut illud ſæpè ſæpiùs evenit, apparent affectiones ſoporoſæ, vertigines, aurium tinnitus, ſyncopes, ſudores frigidi ſi æger ſe tentat ſurgere, vomitus phlegmatis inſipidi.

In eo verſantur indicationes curativæ ut 1°. excitentur vires, diluantur, franganturque humores glutinoſi: nutrimento atque medi-

camentis vires excitabuntur. Levibus carnium jusculis, paucis aromatibus salibusve conditis decoctis farinosis ope salium cæterorumque stimulantium aperientibus, constabit nutrimentum; quæ intùs suscepta breviter cor stimulant, ut sali a valdè penetrantia, sal ammoniacum, salia alkalina volatilia spiritu vini edulcorata, ut spiritus de corn. cerv. de cranio humano, guttæ cephalicæ britannæ, spiritus mendereri, &c. vinum dilutum, cæteraque cardiaca è regno vegetabili petita, medicamenta suppeditabunt. Tanquam diluentia inserviunt, eidem nutritivi potus, enemata cum sacharro, lacte, melle, &c. Nimium diluentium usum noxium esse adnotandum est. Attenuant viscida, quæ vel solida roborant vel ea stimulant; huc solida roborant adstringentia non acida, ut martia, kinakina, & alia amara quæ tonum solidis restituunt. Partes vasorum & viscerum musculosas stimulant, emetica ad nauseam tantum adhibita, alkalia volatilia fixa methodo thachenii desumpta, sapones volatiles fixi, ex oleo & alkali confecti & denique omnia dividentia triplici regno præbita. Externè sumpta adhuc stimulant ac consequenter attenuant, frictiones, aromatica, balnea, fomentaque aromatica vesicantia. Cæterum sanguinis eductio & purgantia drastica valdè periculosa, & si primarum viarum evacuatio commendatur, tunc purgantia leviora & meliùs emeticum dulce quod etiam roborat, ut vinum emeticum, &c.

Si cum pulsu frequenti & debili, calore

parum intenſo ſed acri, urina pallidâ cruda, linguâ ſiccâ, exaſperatâ apparent partes gangrænoſæ, acredinis ſenſus, eruptio veſicularum, ſero acri turgidarum, carnem ſubjacentem gangrænâ corrumpenti, dyſenteriæ materiei fluidæ partes lacerantes, deliria, virium proſtrationes, &c. Iſta nunc oriuntur indicata, vires excitare, acrimoniam obtundere, ſerum acre undique ſparſum foras extrahere, & gangrænam profugare. Excitantur vires, gratis aromatibus remediis ſtimulantibus acredine ſpoliatis, ut theriacâ, ſpiritu mendereri, vino, tinctura ſyrupoque ſimplici vel compoſito decuratio, &c. huc noſcent fermè omnia ſalia neutra & penetrantia.

Serum foras attrahitur ope veſicantium, cauterii, fonticulorum; ſemper cavendo, ne aër vulnera illis remediis inflicta nimis alluens, gangrænam pariat. Acredo lenitur ope enematum tepidorum cum lacte diluto, ſero lactis, aquâ, melle, ſaccharo plantisque emollientibus ſumptis, leviter ſaponacea. Sed verere ne eorumce remediorum uſus, ſolida nimis debilitent. Arcetur gangræna remediis antiſepticis, roborantibusque intus depromptis, ut kinakina & ipſius preparationibus; caſcarilla, camphora, &c. & jam multo ſero evacuato conducunt balnea & fomenta tepida antiſeptica; cæterum idem nutrimentum ac in morbo antecedenti maximè congruit, modo doſis ſalis juſculis ſoluti ſit parviſſima, & ſufficiat tantum in digeſtione favenda; ſi ſordes ventricu-

lum aut inteſtina, obruat, evidens eſt quode rritioribus excuti debeat.

Si pulſus eſt frequens, mollis, parvus, calor debilis, cum quandoque paucâ acrimoniâ, ſitis ingens, lingua 1°. alba, brevi exaſperata livida, aut nigra aut etiam colore purpureo, & ſæpè ſæpiùs cum parvulo tumore nigro ipſius mucronem occupante, halitus calidiſſimus & fœtidus, vires proſtratæ, reſpiratio anhelosa cum ſuſpiriis, ſummi dolores in variis corporis partibus & præcipuè lumbis, oculi colore ſanguineo, aut etiam pallidi, ſi verſus octavum aut nonum diem ab ingreſſu morbi, & aliquando citiùs vel tardiùs, erumpant maculæ purpureæ, &c. dejectiones ſanguineæ putridæ, graveolentes, pernanes, aures, oculos, anum urethram, ſi quod plerumque evenit, bubones, parotides, ægrum afflant &c.; tunc antè macularum eruptionem, nam morâ periculum adauget, iſtæ eruendæ ſunt indicationes. 1°. Vires ſervandæ ſunt medicamentis non acribus de quibus ſupra egimus nutrimento fluido parum tenui, ut oleraceorum acidorum decoctis, juſculis cum carnibus gallinaceis, vitulinis, &c. paratis, quibus plantarum acido auſterarum decocta accenſebuntur; 2°. ſanguinis ſpiſſitudo concedetur eodem nutrimento & inſuper omnium acidorum mineralium imprimis uſurpatione hic nocent ſanguinis detractio, veſicantia, ſalia volatilia, purgantia. Si evacuantium dantur indicationes tunc leviora & præſertim roborantia conducunt. Si cum hiſce ſanguinis,

dissolutis signis partes musculosas propter vulnera inflicta, invadat gangræna; expedit ut antiseptica externè vel internè sumpta præscribat Medicus.

In quibusdam casibus hocce morborum genus febris inflammatoriæ speciem induit, & facile ignavis illusionem gignit. Illud accidit quando causa sanginem dissolvens, solidaque irritans, in plethoricos irruit. Tunc pulsus est frequens, plenus, magnus, calor validus, facies rubra, &c. per sanguis missionem medelam incipere nil periclitatur Medicus, ita etiam se gerere tenetur ut viscerum inflammationes majoremque sanguinis dissolutionem amoveat. At dein si sanguis eductus, libereque prosiliens, crusta densa & alba obtegitur, brevique cruor coagulatur, febris adest verè inflammatoria, si crustula è contrà reperitur mollis, livida, variisve coloribus tincta, si cruor dissolutus perstat, vel si sanguis, sero à cruore sejuncto, non roseus tenuisque apparet, febris ad supra descriptam referenda & non ampliùs cruor detrahendus est. Cæterum in hoc ultimo casu sanguis detractus pulsum debilitat.

Aliquando vires etiam prosternuntur & pulsus digitum tangentem ferè nullatenùs percutit, licet sanguinis eductiones omninò requirantur. Ille status vel à plethora vel à sanguinis penuriâ prodire potest. Si à plethora sequentibus detegetur, pulsu duro, corporis calore sæpè faciei rubore, agendi ratione hæmatopoietica antè vel per morbum nullis

evacuationibus prægressis. Si illorum indiciorum præsentiâ vel absentiâ mentem fluctuantem figere non sufficiunt, vena secanda est dùm brachii oppositi arteria manu premetur, si pulsus, sanguine eructante, majores exorditur pulsationes, tùnc adest plethora, contrà verò si magis sese extinguit vena subitò clauditur.

Symptomata quæ maximum vitæ discrimen inferunt medelâ congruâ propugnavit Medicus. Quantùm à rectâ viâ recedunt qui tanquàm futilem curationem symptomaticam rejiciunt. Ingenia ista quæ præter grandia omnia conspicere fastidiunt, nisi sublimem videndi suum modum deponant, illa futilia, illa parvi momenti, quæ cogitari non merentur, ægrum è medio tollere breviter cernent. Quibus verò remediis symptomata periculosa mitigentur hìc taceo, quia hæc dissertatio jam longior est sed ea responsis exponam.

Illâ variâ curationis methodo talia naturæ conaminibus fræna vel spicula imponemus, ut omnes causas materiales sive simplices sive complicatas superaverint. Nàm suprà præscriptis 1°. in corpore genitos humores, vel exagitatos, vel degeneratos, vel retentos, vel copiâ peccantes emendabunt; 2°. Introducta; si primis viis inhæreant, absque coctione eliminabuntur; si verò secundas ingressa fuerint, tùnc iisdem viribus naturæ, id est, actione solidorum in fluida elaborata, vel nostris humoribus assimilabuntur vel è corpore propellentur.

Dimidium papyri folium ſcribere tantùm decreveram, quià quotidiè videre fas eſt ſcriptoris ſcientiam nullatenùs comprobare voluminoſa: & reipsâ id mirum fieri non debet cum neminem fugiat, doctrinas in papyro quàm animo defigere, faciliùs eſſe: ſed ſcopum ultrà procedere, majoremque cartam contaminare, me coegit materiei copia.

Ea ſunt quæ veſtris prælectionibus, nec-non è Medicorum maximi momenti, ſive practicorum, ſive theoricorum meditatione deprompta, manu rapidâ temporis brevitate calamique faſtidio urſa, in lucem offero, Profeſſores illuſtriſſimi. Exigui quos huic diſſertationi concedere volui, febrium theorias exponere, pluraque practica devolvere, me impediunt limites; ſed hæc, nec-non quædam omiſſa, ſi à vobis exagitantur, verbis complere nitar. Hinc meam diſſertatiunculam, niſi oculis velo quod imponet clementia obtectis, vos non perluſtraturos eſſe ſpero.

FINIS.

69-38
Thomas
8-5-6

ARGUMENTABUNTUR

N. N. D.D. PROFESSORES REGII.

N.D. PAULUS-JOSEPHUS DE BARTHEZ, *Cancellarius & Judex.*

N.D. GASPARDUS-JOANNES RENÉ, *Decanus.*

N.D. ANTONIUS GOUAN, *Pro-Decanus.*

N.D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N.D. FRANCISCUS VIGAROUS.

N.D. JOANNES SABATIER.

N.D. JOANNES CAROLUS DE GRIMAUD.

N.D. HENRICUS-LUDOVICUS BRUN.

MONSPELII;
Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Regis & Universitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXXVII.

E787
D479m